

plane SCHILTERVM sequutus est HENRICVS COCCEII ^{bb)}, qui itidem et VOSSIVM nominat, fidens procul dubio SCHILTERO, cuius quoque verba sua fecit. Propius ab hac ratione abesse videtur ea, quam HENRICO VALESIO tribuit MENAGIVS ^{cc)}, quem sequestri vocabulum dicit a voce *secus* deriuare, *ideo, quod res secus, i. e. iuxta sequestrum deponatur*, quod quidem paullulum contortum esse videtur. Aliam viam, ab aduerbio *secus* illam deriuandi vocem, ingressus est IOANNES FRIDERICVS GRONOVIVS ^{dd)}. *Sequester* enim, ait, *meo iudicio non a sequor, quod GELLIO creditum; sed a secus, quasi secuster, ut a magis magister, a minus minister dictus, quoniam interuenit dissidentibus, ipse neutrarum partium, semotus ab utroque, et liber a causis eorum, aliusque, atque certantes*. Sed de vtriusque vocis et *ministri* et *magistri* notatione non vna est doctorum virorum opinio ^{ee)}, quare nec haec adeo certa esse videntur. Sed nec omittenda est ipsius AEGIDII MENAGII, quem paullo ante nominauimus, deriuatio, elegans illa sane, et ingeniose excogitata. Possit etiam, inquit, τὸ *sequester* deduci ἀπὸ τῆς δικάζεν. δικάζω, δικάσις, et laconice δικάσις, σικασίς, *sequester*: *quae mea est sententia*. Digna sane tanto viro, cuius ingenii laus maxime celebratur inter eruditos, cui lubentissime ego quidem adcessurus eram, si hoc, de quo tamen dubito, possit Graecorum auctoritate firmari, δικάσιν quoque dictum esse eum, quem *sequestrem* Romani adpellant. Denique multos inueni, qui acriter improbarent

^{bb)} in *Dist. de feminar. sequestro c. 1.* ^{dd)} in *notis ad TACITI Annal. Lib. 3.*
 §. 5. c. 71.

^{cc)} locum indicauimus supra *lit. y.* ^{ee)} Vid. VOSSIVM sub vtraque voce.